

Matth.
Paris.
1243.

Vide Du-
ces Exo-
nia pag.
117.
Cap. 50.

tius *Guilielmo Regi Scotorum*. Inde David ejus frater, Davidisque filius Ioannes cognomento *Scottus* Cestriae Comes, qui cum sine sobole fatis concessisset, & Alexander Secundus qui Regis nostri Henrici III filiam duxisset, aliquantisper hoc titulo usus esset, Scoti ingruentibus bellis eo honore & lautissimo in Anglia patrimonio exciderunt. Edwardus Tertius fatis longo post tempore *Guilielmu* *Clinton* Huntingdoniae Comitem creavit: illi successit à *Richardo Secundo* *Guiscardus* Angolismius, & eo mortuo, *Ioannes Holand*, cui *Ioannes* filius, & *Henricus* ejus filius successerunt, qui singuli fuerunt Exoniae etiam Duces. Et hic ille *Henricus* Exoniae Dux est, quem nudis pedibus mendicantem vidit (ut ipse testatur) *Philippus* *Cominaeus*, dum constanter, à Lanca-

strensi familia staret, et si sororem Regis *Edwardi Quarti* in uxorem duxerat. Inde *Thomas Grey*, qui postea *Marchio Dorsetiae*, eo honore paulisper fuit auctus. Certum etiam est ex Archivis, quod *Guilielmus Herbert* Comes *Penbrochiae* restituit *Chartam* *creationis* qua *Penbrochiae* Comes pater factus erat in *Cancellariam* *cancellandam*, quodque *Edwardus Quartus* anno regni sui *xvii*, ipsum in *Huntingdoniae* Comitem creavit. Patrum vero memoria illum honorem *Georgio Hastings* contulit *Henricus Octavus*, cui successit *Franciscus*, illi itidem *Henricus* filius verae nobilitatis, & pietatis laudibus vir longe honoratissimus, illique sine prole defuncto *Georgius* ejus frater, *Georgio* ejus è filio nepos *Henricus*, qui eodem titulo hodie latatur.

Numerantur in hac regiuncula Paroeciae 78.



Gggg

CORI